



# MÉMOIRES

DE LA

# SOCIÉTÉ LINNÉENNE

DE PARIS,

PRÉCÉDÉS DE SON HISTOIRE,

PENDANT LES ANNÉES 1823 ET 1824.

~~~~~  
TOME TROISIÈME.  
~~~~~

PARIS,

AU SECRÉTARIAT DE LA SOCIÉTÉ LINNÉENNE,

Rue des Saints-Pères, n° 46, en face la rue Taranne,

ET CHEZ DESBEAUSSEAUX, LIBRAIRE, QUAI MALAQUAI, n° 15.

~~~~~  
1825.

---

# POLYPORI PISACHAPANI (1)

Illustratio, auctoribus CHRISTIANO GODOFREDO  
NEES AB ESENBECK, et TH. FRIDERICO LUDO-  
VICO NEES AB ESENBECK, fratribus, Societ. Lin.  
Parisiensis sociis.

---

*Polyporus pisachapani.*

P. (Pleuropus) suberosus, niger, pileo horizontali  
margine radiato, radiis prælongis arcuatis apice pallidis.

Habitat ad truncos putridos Javæ insulæ. BLUME.

## DESCRIPTIO.

Inter multa atque pulcherrima Floræ dona, quæ  
BLUMIUS noster in Java insula, plantarum fertilissima,  
collegit et humanissime nobiscum nuper communica-  
vit, nulla res magis hominum oculos in se convertit,  
quam fungus iste, qui ex humilioribus quidem et e ser-  
vorum tribu ortus, tamen altioribus cunctis ipsisque  
principibus plantarum aliena sua et sane miranda specie  
antecellit.

Est ingens quidam Boletus, manus, prælongis digitis  
instructæ, forma, coloris aterrimi, soli illius vi et uber-  
tate e Polypororum familia enatus. Stipes erectus, non-  
nihil incurvus et subrugosus, sex pollices longus, vix pol-  
licem dimidium crassus, durus et lignosus, apice expan-

---

(1) *Pisácha* (Pisatscha pronuntiandum) dæmon malignus, et *páni*,  
manus, a SCHLEGEL.

ditur in pileum horizontalem semicircularem quinque pollices latum, duos pollices cum dimidio longum et tres ad quatuor lineas crassum, qui latere superiori ater et nitidus, more generis striis concentricis elevatis distinguitur. In latere inferiori hymenium videbis, linea marginali prominente cinctum, cujus pori, per se quidem minutissimi, materie etiam vernicosa obliti nudosque oculos, veluti punctula superficilia, facile effugientes, cultri et lentis vitreae ope quærendi sunt. Et ad hos usque terminos fungus quidem noster formæ tritissimæ esse videtur nec quidquam insoliti refert. Sed nova statim orta evolutione, pileus iste parvus in appendicem, mole sua et forma perinsignem, incrementum. Apex etenim pilei abit in processum latum, carpo manus similem, ex quo radii septem longissimi, leniter incurvi, ad basin compressi, reliqua autem parte teretes, nonnihil rugosi et subnodosi, in apicem acutiusculum desinentes, ascendunt, qui in longitudine pollicum viginti et duorum sunt, lineas autem quatuor vel quinque crassi coloris in sicco atrii, nitentis, versus extremum apicem in ferrugineum vergentis. Adest præterea octavi radii pars imperfecta, exigua et quasi trunca. In fungo recenti cl. BLUMIUS radios istos spissiori quadam collinitos observavit mucilaginem, quæ exsiccando denique in crustam rigidam resinosa et quasi vernicosam induruit.

Structura interna stipitis strata quatuor diversa ostendit, quorum exterius durissimum est et contextus floccosi densioris; secundum, molle, spongiosum et castanei coloris, e contextu floccoso laxiori constat; stratum tertium idemque majorem totius stipitis par-

tem implens, sublignosum, e meris vesiculis subglobosis compositum, ad super accedit et cavitatem veluti medullarem, substantia floccoso-stupposa, strato secundo simili, repletam, cingit. Apices radiorum, cortice duriori orbat, toti floccis quam in secundo tenerioribus, sed magis compactis, continentur. Qua ratione fungi hujus structura interna, quamvis e simplicissimis elementis composita, diversa arborum strata, corticem, librum, lignum et medullam, imitatur.

Pori hymenii, sub microscopio composito examinati, thecas tenuissimas filiformes pellucidas produunt; sporæ desiderantur.

Locum in systemate mycologico singulari huic speciei quaerendo non incommode inter *Polyporos pleuropodes* post *Polyporum amboinensem* F. collocabis, etiamsi ab omnibus congeneribus appendice illa maxima et monstrosa summopere aberret et simile quiddam cum *Clavariis* et cum *Cordyliarum stromate* habeat.

ADNOTATIO. — Fungi illi digitati, a RUMPHIO in *Herbario amboinense* obiter commemorati, accedere videntur nostro.

#### EXPLICATIO TABULÆ XI.

1. Fungus, a fronte visus, semi-magnitudine naturali.
2. *Idem*, a latere delineatus, ut radiorum incurvatio appareat.
3. Pileus sine stipite et radiis, a latere superiori visus.
4. *Idem*, a latere inferiori.

5. Segmentum transversale stipitis magnitudine naturalis.

6. Pars hymenii, lente aucta.

7. Pori hymenii cum ascis, maxime aucti.

8. Segmentum transversale stipitis, maxime auctum, quo structura strati primi, seu exterioris, et secundi illustretur.

9. Segmentum longitudinale strati corticalis, maxime auctum.

10. Segmentum transversale strati tertii, eadem ratione auctum, ut structura vesiculosa in conspectum veniat.